

9980

DIÆTA

MAXIMI MOMENTI EST

IN MORBIS CURANDIS.

THESIS

QUAM SUSTINENDAM

MEDICINÆ FLUMINENSI FACULTATI OFFERT, DIE 7 OCTOBRIS ANNO 1846,

Carolus Friedericus Müller,

Sirelitus-Metropolitanus.



FLUMINE JANUARIO

EX TYPIS LAEMMERT, VIA LAVRADIO, 53.

MDCCCXLVI

FLUMINENSIS MEDICINÆ FACULTAS.

DOMINI DOCTORES.

RECTOR.

DOMINUS J. M. A. C. JOBIMUS.

PROFESSORES PROPRIETARII.

PRIMO ANNO.

- F. F. ALLEMANUS. Botanicæ Medicæ et Zoologiæ elementorum.
F. A. P. CANDIDUS. Physicæ Medicæ.

SECUNDO ANNO.

- J. V. T. HOMO. Chymicæ Medicæ et Mineralogiæ elementorum
J. M. N. GARCIA. Generalis et specialis Anatomices.

TERTIO ANNO.

- L. AD A. P. A. CUNEA. Physiologiæ.
J. M. N. GARCIA. Generalis et specialis Anatomices.

QUARTO ANNO.

- J. J. A. CARVALIO, *Præses*. Pharmaceuticæ, Materiæ Medicæ, speciatim
Brasiliensis, Therapeutices et artis formulas
componendi.
J. J. A. SILVA. Pathologiæ internæ.
L. F. FERREIRA. Pathologiæ externæ.

QUINTO ANNO.

- G. B. MONTEIRUS. Operationum, Anatomices topographicæ et Ap-
paratum.
F. J. XAVIERUS. Partuum, morborum mulierum prægnantium
effectarumque et recens natorum.

SEXTO ANNO.

- J. M. A. C. JOBIMUS. Medicinæ legalis.
T. G. A. SANCTIS. Hygienes et Historiæ Medicinæ.

- EM. A. V. PIMENTELIUS. Clinicæ internæ et Anat. Patholog. ad illam
pertinentis.
EM. F. P. A. CARVALIO. Clinicæ externæ et Anat. Patholog. ad illam
pertinentis.

PROFESSORES VICARII.

- J. B. A. ROSA. } Sectionis Medicæ.
A. F. MARTINES. }
D. M. AD A. AMERICANUS. } Sectionis Chirurgicæ.
L. DA C. FEIJO. }
A. M. A. M. CASTRO. } Sectionis Scientiarum accessorarum.
F. G. A. R. FREIRES. }

MINISTER A SCHOLÆ SECRETIS.

L. C. A. FONSECA.

Facultas, ipsius sententia, opiniones in thesibus elatas, quæ auctorum propriæ existimandæ, nec probat, nec improbat.

DIÆTA

MAXIMI MOMENTI EST

IN MORBIS CURANDIS

Quum longe, quod mihi eligerem thema ad dissertationem elaborandam hæsitassem, denique de diætæ vi in morbis curandis disserendi consilium cepi. Qua de re quamquam jam multi et ipsi doctissimi omnium temporum medici scripserunt, ita ut vix novi aliquid ad hanc medicinæ doctrinam afferri possit, mihi tamen, quod illi sentiebant litterisque illustrabant, paucis complecti, et quibus in medicina exercenda principiis utar, exponere licitum sit. Peto vero, ut hoc opusculum meum benigno et benevolo animo accipiat et tironis in medicinæ arte erroribus venia detur.

Sub « diætæ » non solum salubrem rationem victus, sed etiam aëris tempestatisque et quietis quam corporis tam animi intelligi volo. Quæ autem leges diætæ et quomodo in diversis morbis adhibendæ, longius foret, quæ exponam et criticis annotationibus interpretarer. Nam hoc loco brevi demonstrare volo, quantum diætæ primum in morbos acutos tum in morbos chronicos sanandos valeat.

Primis jam temporibus doctissimos viros diætæ studio sicuti pathologiæ et therapiæ optimam operam dedisse ejusque doctrinæ (hygieine) haud parvum tribuisse, ex eorum scriptis, quæ ad nostra tempora constant, satis cognitum est. *Hippocrates* jam scripsit « de salubri victus ratione et diætæ », *Galenus* « de sanitate tuenda », *Sanctorinus* « de medicina statica », *Ludovicus Cornarus* « tractatus de vitæ sobriæ commodis », *Hieronimus Cardanus* « de sanitate tuenda ac vitæ producenda ». Et nostris quoque temporibus multi medici de hac doctrina bene meriti sunt, in primis *Friedericus Hoffmann*, *Stravius*, *Unzer*, et denique *Hufeland* « (Macrobiotic) ».

I. Hahnemannus et Homœopathi in millesima guttæ medicinæ parte omnem salubrem vim, quam auram medicamento nominant, inesse dicunt, et diætæ fere nihil attribuunt. Eodem modo Priessnitz Græfenbergensis e quicumque ejus præcepta in medendi arte sequuntur, aquæ usum omnibus morbis mederi profitentur. Re vera eos multos et ipsos gravissimos morbos sæpe sanasse, constat, quod autem neque millesimæ parti guttæ neque aquæ, sed ipsæ diætæ tribuendum est; elsi igitur omnem Homœopathiæ utilitatem negare vis, id minime Hahnemanni præcepta medendi arti profuisse videntur ut cujusvis disciplinæ medicis, medicamina sola non esse, quæ medeantur morbis, persuasum sit.

Quotidianæ jam observationes medico, qui ægrotos visitans sine præjudiciis lectum aggreditur, quantum diætæ valeat in morbos, satis probant; quod planius etiam in nosocomiis cernitur. Quænam remedia medicus contra synocham præcipue præscribere solet, — nisi forte vel propter morbi impetum venæsectio, vel propter complicationes emeticum locum habent? Sunt diætæ et quietis tempestatis et aëris ratio morbo apta et accommodata, quæ morbum depellunt, minime vero decoctum Althææ, infusum Verbasci vel Sambuci; nonnullæ drachmæ Nitri aut Natri sulphurici, Spiritus Mindereri aut Saturatio Cali carbonici, denique alia remedia, quæ dare cogitur, — ut aliquid fiat, ne fidem et ægrotantis et omnino vulgi, solum iis remediis confidentis, quæ oculis cernuntur, amittat. Quæ remedia, diætæ ratione non habita, neque revera prodesse neque primam morborum sanandorum conditionem esse, contendo; quin etiam eorum crebrum et continuum usum non solum digestionem et assimilationem esse detrimento, sed etiam sanitati valde obstare, persuasum mihi habeo. Medici ipsi, quum ægrotant, medicamenta sumere non solent, sed diætæ ratione habita tam cito in sanitatem revertuntur, quam ægroti, quos medicamentis large faciunt.

Idemque, etsi alio modo, in pauperibus curandis videre licet. Ægroti enim, postquam medicum in domo ejus consuluerunt, medicinam quidem præscriptam bene sumunt, ceterum vero ex consuetudine vivunt, negotiis sine tempestatis ratione obeunt, omniaque, quibus consueverant et ipsa remediis contraria edunt bibuntque. Non miror, ægrotos non convalescere, et febres atque dolores omnibus medicaminibus obstare. Interea morbus ita crescit, ut a negotiis recedere et domi remanere cogantur. Nunc denique diætæ rationem habere coacti, ceterum vero iisdem remediis usi brevi convalescunt.

Quum his argumentis et observationibus, omnia medicamenta sine diætæ non multum valere, satis confirmari puto, jamjam contendo, diætam solam plus valere et pluris æstimandam esse, quam omnem vim, quam in medica-

minibus positam esse dicunt. Nam experientia docet, ægrotos, qui, lege artis quidem ac bene tractati sed diætâ neglecta, in sanitatem non restituti sunt; deinde diætæ ratione habita sed perversis medicaminibus usos, convalescere. Quæ res nobis explanat, quo fiat, ut, quamquam in iisdem morbis alii medici et alii populi aliam sequantur medendi rationem, attamen mortuorum et convalescentium numerus apud diversos populos in universum non differat. Etenim apud omnes diætæ rationis habendæ in omnino non est differentia. Ceterum, si diætâ neglexeris majorem damnum asseres, quam si Infusum Valerianæ, liquorem Hoffmanni perverse dederis pro decocto Althææ et aliquot drachmis Nitri. Ut paucis dicam verbis, non est medicamentum quod sanat, sed remotio atque propulsatio ejus vis, quæ a morbo et a corpore humano aliena est, morbi causam et morbum ipsum auget, et crisi salubri obstat, id quod ipsius diætæ ratione habita prohibetur.

II. Eodemque modo, quanta diætæ vis in eos quoque morbos sit, qui sine directo medicamentorum usu sanari non solent, elucet; morbos chronicos dico. Quum enim oculos conjeceris in morborum chronicorum copiam, videbis; quamquam ex una parte, corporis materiam sine usu medicamentorum neque chemice neque dynamicæ immutari adeoque sanari, negare non potes, tamen ex altera parte hanc materiæ vel corporis commutationem diætæ ratione habita melius, citius et securius perfici posse. Quin etiam sine diætâ multos morbos omnino non posse sanari et ægrotum, fortissimis etiam remediis sumptis, sæpe non convalescere constat. Pluribus jam, quod sentio et dicere volo, disserere licitum sit. Omnes morbi chronici sive in dynamica vel dyscrasica corporis ægrotatione, sive in naturæ vitio positi sunt, solum quum singulas corporis partes pervertendo, et materiam ægrotantem, et universi corporis et singularum ejus partium, chemice immutando, tum universam naturam redintegrando. Quæ his respondent remedia sunt aut directa, *id est* quæ ipsum morbum infestum aggrediantur et superent, aut indirecta, *id est* quæ omnes eas res amoveant et e medio tollant, quæ morbi vim augeant et corpus vastent. Sunt, qui in classe remediorum, quæ directam habeant vim, fere sine exceptis medicamina, ut ita dicam, pharmaceutica numerare velint et diætæ in curatione observandæ tantum indirectam vim salubrem tribuant. Sed valde mihi errare videntur, equidem potius persuasum mihi habeo, non esse remedium quod corpus ejusque partes melius citiusque immutet et redintegret, quam diætâ ad morbi statum et ægroti constitutionem accommodatam, et puto, medicum in medendis morbis chronicis hanc rationem persequentem et arti medicæ et generi humano multum profuturum esse. *Rustius* aliquo loco narrat: « Præscripsi mulieri, usque ad trigesimum annum Chorea St. Viti affectæ, omnibus jam medicaminum opibus datis, (nescio quodam modo) Spinaciam, quo unico cibo per tres men-

ses sumpto, in sanitatem restituta est. » Et Hufeland « se malum herpeticum, omnibus remediis jam frustra datis, fructu pomorum sanasse, dicit. Qua quidem re commotus Hufeland acidum pomorum bonum contra Herpetem remedium habet, tamen, veluti uvarum et lactis ita pomorum fructus ad bonam assimilationem et digestionem conferre mihi videtur. Eodem modo multos homines divites, qui luxuriose vivunt et sola fere carne vescuntur, fructus edendo e podagra brevi tempore evadere videmus. Quæritur, utrum etiam rusticus fructibus vivens ex aliquo morbo chronico, carnem edendo sanus facturus sit? Quis autem nostris temporibus est, qui nesciat quantum diæta ad eos morbos sanandos valeat, quibus famem et inedia[m] opponere solemus. Ulcera scrophulosa et arthritica, quæ per multos annos omnivique medendi rationi pertinaciter restiterant, pseudo-organisationes cujusvis generis et formarum deterrimarum, caries, ulcera fistulosa et ipsa elephantiasis sine mercurio aliisque et externis et internis medicaminibus, ipsius diæta et aquæ tepidæ usu sanaverunt. Errare igitur mihi non videor, si, in diæta non solum absolutam medendi vim inesse, eamque sæpe magis quam omnia medicamenta valere, sed etiam necessarium medicaminum adjumentum eam ad morbos curandos esse contendo. Sin vero negari quidem non potest; multos morbos eosque imprimis non dyscrasicos, solum inedia imperata et victu immutato sanari, tamen, nos omnibus morbis unico diæta usu mederi posse, non dico; neque minus, venæsectionem, Mercurium, Antimonium, Opium, Belladonnam, Laurocerasum et, quæ aliæ sunt medicinae opes, ad sanandos morbos chronicos revera conferre, nego. Attamen vero, omnia hæc medicamina, quæ iis inest, vim sæpius meliusque et minoribus jam datis portionibus præ se latatura esse, puto, si diæta vis, et, quas diæta in corpore efficit, commutationum, majorem rationem habeamus.

Sæpe omnia illa medicamenta omnino non habent vim, et quidem.

4. Si eorum vis cum diæta discrepat. Etenim medicamina pro se ipsa non habent tantam vim, ut morbum simul cum omnibus diætae vitiis depellere possint. Quod præsertim in mercurii usu videre licet, qui, diætae et tempestatis ratione non habita, morbum non solum non depellit, sed etiam ampliorem reddit. Quid lignum Guajaci, Sassaparilla, Antimonium aliaque diaphoretica ad Arthritidem, exanthemata et alios ejusmodi morbos sanandos, neque diætae tempestatisque, neque necessarie cutis curæ ratione habita, valere possunt? Quin etiam de Gonorrhœam quidem sine diæta sanare possumus, et sæpe, medicamentis multis mensibus datis, ipsisque perversis adhibitis injectionibus, urethrae stricturas, indurationes et exulcerationes prostatae, aliaque mala insanabilia evadere videmus. Nihilominus tamen, omnem gonorrhœam, solum bibendo aquam, quietis e tempestatis rationem habendo extingui, satis cogni-

tum est. Medicamina præterea nihil efficiunt, neque medici expectationi respondent,

2. Si absoluta eorum vis minor est, quam quæ morbum depellat. Etenim nullum medicamentum morbo mederi potest, nisi ejus vis morbi potentia respondet. Exempli causa: medicamentum, cujus vis par est viginti non potest tollere morbum, cujus vis par est viginti quatuor. Ii morbi autem, qui salubrium medicamentorum vi majores sunt, duplici modo sanari possunt, aut

a, absoluta medicaminum vi aucta, aut

b, absoluta morbi potentia diminuta,

id quod sæpissime et optime ipsius diætæ vi consequimur. Nam si talis diætæ rationem habemus, qualis et easdem materiæ commutationes, quas medicamina efficiat et cujus vis par sit medicaminum potentia, morbum fortius aggredimur et superamus. Ex altera parte, si et quantitatem et qualitatem victus, quo ægrotans uti solebat, vel diminuimus vel commutamus, totum corpus ejusque potentiam debilitamus, atque ita medicamina apta reddunt ad morbum sanandum et ex fundo evellendum. Ad extremum, diætam et ad naturam atque vim quum medicamentorum tum ipsius morbi, et ad constitutionem et vitæ rationem ægrotantis accommodandam esse, per se intelligitur.



HIPPOCRATIS APHORISMI.

1.

Cum morbus in vigore fuerit, tum vel tenuissimo victu uti necesse est.

2.

Si quis ex morbo cibum capiens, vires non recipiat, eum copiosiore alimento uti significat.

3.

Victus ratio humida omnibus febricitantibus confert.

4.

Somnus, vigilia utraque modum excedentia, malum.

5.

Frigido utendum est in vulneribus recentibus, atque unde sanguis profunditur.

6.

Ex sudore horror minime bonus.

7.

Si cui sine febre cibi fastidium, ventriculi oris morsus, tenebriosa vertigo contigerit et os amarulentum fuerit, hæc necessariam esse per superiora purgationem indicant.

8.

Mulieri utero gerenti, si alvus multum profluat, abortionis periculum est.

Esta These está conforme os Estatutos. — Rio de Janeiro , 4.º de
Outubro de 1846.

DR. JOÃO JOSÉ DE CARVALHO.